



PROÆMIUM.

Unam sit periculoseum, multosque
inaustos exitus habere natum,
Q contra Romanae ecclesiae sensum
& praxim novitias opiniones introducere, cuncta retro saecula tristi-
nimis experimento comprobabant.

Ex multis exemplis unum dumtaxat, praesenti
rei non importunum, cunctisque notum, refe-
ram. Ab heresi ad fidem catholicam revertentes
absque baptismatis reiteratione suscipiebat
S. mater ecclesia. Inceperunt nonnulli, & max-
ime in oriente, ex bono quidem zelo, sed *non secundum scientiam*, novam praxim inducere, &
contra communem ecclesiae morem, dictos her-
eticos ad ecclesiam redeentes rebaptizare; bre-
vique tempore malum hoc, ceu febris quædam
pestilens, ex oriente serpuit in Africam, viro-
que non paucos, sanctitate & doctrina celeberrimi-
mos, invasit. Quantas autem ista novitas excita-
verit in ecclesia turbas, & quam infelices fue-
rint illius exitus, nemo est, qui ignorat; unde
illis recensendis superfedeo.

Res non multum absimilis contingit in diebus
nostris. Communis semper fuit ecclesiae Roma-
nae sensus, posse partem, ab infidelitate ad fi-
dem conversam, ad alias nuptias transire, dum
pars altera in infidelitate remanens, renuebat ei
cohabitare; &, ubi casus contigit, a secundis
nuptiis dictam partem conversam ecclesia non

A 2

P R O Æ M I U M.

repulit. Incipiunt interim nonnulli opinionem novam inculcare, quam non neverunt patres nostri, afferentes in casu Apostoli, liberum non esse parti conversæ ad secunda vota migrare: & utinam iis dumtaxat in locis permanisset illa novitas, in quibus primum exorta est. Sed, proh dolor! Nostra etiam pervasit, illaque nonnulli, velut recentioribus quibusdam delicatioribusque fructibus, mox delectati sunt. Cum autem hæc illorum opinio graves cum in ecclesia, tum in republica possit habere sequelas & excitare turbas, illam non tam inquirendæ, quam stabiliendæ veritatis gratia disutere mihi est animus.

